



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio VI. Utrum ad lucranda Indulgentiam plenariam præter supradicta requiratur adhuc alia dispositio ex parte suscipientis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

tinuam sui abnegationem, & integram sensuum ac cupiditatum mortificationem.

Q U A E S T I O VI.

Utrum ad lucrandam Indulgentiam plenariam præter supradicta requiratur adhuc alia dispositio ex parte suscipientis?

212. **S**YNODUS TRIDENTINA Sess. 14. de Pœnit. c. 8.
 Tri- ita loquitur: "Sane & divina justitiæ ratio
 denti- exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam re-
 rum- cipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam
 de- deliquerint; aliter verò, qui semel à peccati &
 pœni- demonis servitute liberati, & accepto Spiritus S.
 ten- dono, scienter templum Dei violare, & Spiri-
 tia- tum Sanctum contristare non formidaverint. Et
 divinam clementiam decet, ne ita nobis absque
 ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasio-
 ne acceptâ, peccata leviora putantes, velut inju-
 rii & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora
 labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.
 Procul dubio enim magnopere à peccato revocant,
 & quasi freno quosdam coercent hæ satisfactoriæ
 pœnæ, cautioresque & vigilantiores in futurum
 pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum
 reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo compa-
 ratos contrariis virtutum actionibus tollunt. Ne-
 que verò securior ulla via in Ecclesia Dei umquam
 existimata fuit ad amovendam imminentem à Do-
 mino pœnam, quàm ut hæc pœnitentiæ opera ho-
 mines cum vero animi dolore frequentent . . .
 Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiri-
 tus

zus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare & convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte peccatis conniveant, & indulgentiis cum pœnitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem: nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent." Hactenus verba TRIDENTINI.

Tutior certè, nec omnino improbabilis est sententia eorum, qui ad obtinendum plenarium Indulgentiarum fructum in suscipiente per modum præviæ dispositionis requirunt propositum, ac serivum conatum pro suis peccatis in hac etiam vita de congruo satisfaciendi. Ita sentiunt CAJETANUS, NAVARRUS, REGINALDUS, AMORT, alique. Sententiæ hujus patroni rationibus nituntur sequentibus: 1^o Indulgentiæ non sunt ad enervandam pœnitentialem satisfactionem; proinde earum concessio sic accipienda est, ut pœnitentialis satisfactio in neglectum & contemptum non abeat, præsertim cum ex verbis Tridentini citatis nulla securior via in Ecclesia Dei umquam existimata fuerit ad amovendam imminentem à Domino pœnam, quàm si pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent; cumque & divinæ justitiæ ratio exigat, & divinam Clementiam deceat, ne absque ulla satisfactione peccata dimittantur, eam-

213.

Qui-
dam
requi-
runt
Satis-
fa-
ctio-
nes
pœni-
ten-
tiales.

694 DE INDULGENTIIS.

demque in nos suscipiamus ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. 2^o. Extat divinum præceptum faciendi fructus dignos pœnitentiæ *h. e.* opera pia & pœnalia, quæ pro peccatis facere satis valeant, à quo præcepto Ecclesia dispensare non potest. Id quod innuit TRIDENTINUM, ubi *Seff.* 6. c. 14. docet generatim pœnitentiam hominis Christiani lapsi necessariò includere satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes, & alia pia vitæ spiritualis exercitia faciendam. 3^o. Indulgentiarum thesaurus à Christo concessus est ad supplendam duntaxat Fidelium impotentiam & infirmitatem, non autem ad fovendum illorum torporem, non in destructionem, sed ad ædificationem. Unde GREGORIUS VII. Lincolnensi Episcopo Indulgentiam petenti, concessit eâ lege, ut pro viribus satisfaceret: *Absolutionem præterea peccatorum tuorum, sicut rogasti, autoritate Apostolorum Petri & Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inherendo, commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* Ut appareat (inquit BARONIUS hæc referens ad annum 1073.) Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt: non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescantibus. Deque his, qui ita sentiunt, sic loquitur S. ANTONINUS I. p. tit. 10. c. 3 § 3. *Nec credunt, quòd propter has Indulgentias generales minus teneantur agere pœnitentiam in hac vita.* Et horum dictum satis videtur concordare aequitati. I. a. n. d. a

danda hoc iterum loco sunt verba *Tridentini* in Decreto de Indulgentiis: *In his tamen concedendis moderationem juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit Synodus, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.* Juxta veterem autem Ecclesiæ consuetudinem Fideles, quibus Indulgentiæ concedebantur, vix umquam ab obligatione satisfaciendi penitus solvebantur. Sic D. PAULUS Corinthio incestuoso non nisi post diuturnam & gravem pœnitentiam, remissionem dedit, ZEPHYRINUS Papa Mœchis Indulgentiam concessit in articulo mortis, si usque in id tempus in operibus pœnitentiæ sese exercuissent. S. CYPRIANUS iis duntaxat lapsis pœnarum relaxationem concedendam putabat, qui diuturnâ pœnitentiæ afflictione illâ se dignos præbuisent. Emergit novum genus cladis (inquit Serm. de lapsis) & accessit sub misericordia titulo malum fallens, ante expiata delicta, ante offensam placatam Domini pacem putant esse, quam quidam verbis fallentibus venditant; persecutio hæc est alia, per quam subtilis inimicus grassatur impugnandis lapsis, ut lamentatio quiescat, ut dolor fileat, ut delicti memoria evanescat, nec Dominum offensum longâ & plenâ pœnitentia deprecetur. Nemo se fallat; solus Dominus misereri potest; veniam peccatis solus potest elargiri; nec remittere, aut Indulgentiâ suâ donare servus potest, quod in Dominum commissum est. Sola superest pœnitentia, quæ satisfaciat; si precem toto corde quis faciat; si veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiscat; si ad veniam delicti sui Dominum

696 DE INDULGENTIIS.

justis & continuis operibus inflectat; misereri te-
 liam potest Deus; potest ille Indulgentiam dare;
 pœnitenti, roganti potest clementer ignoscere;
 potest in acceptum referre, quidquid pro talibus
 petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes. Pa-
 riter Synodus ROMANA in Decreto, quod extat
 apud S. Cyprianum ep. 31. lapsis in persecutione
 Indulgentiam non nisi in articulo mortis, & post
 peractam toto vitæ tempore pœnitentiam concedit.
 Synodus NICAENA Can. 11. & 12. iis solum lar-
 gitur Indulgentiam, qui diuturno pœnitentiæ stu-
 dio conversionem suam probarunt. Similia videbis
 sancita vel à Ss. Patribus, vel à Summis Pontifi-
 cibus, vel ab aliis Synodis Particularibus, ex
 quibus satis apertè colligitur, Indulgentiarum con-
 cessionem à pœnitentialis satisfactionis usu, num-
 quam fuisse separatam.

Respondetur ad objecta.

Obj. I. Hæc sententia enervat doctrinam *Trî-*
dentinæ Synodi dicentis, Indulgentias maximè sa-
 lutares esse Christiano populo: quod si enim necessa-
 riæ sunt satisfactiones pœnitentiales, diuturna præfer-
 tim & laboriosa, jam per istas tolluntur pœnæ
 temporales peccatis debitæ, ac proinde inutiles
 evadunt Indulgentiæ. Respondent hi AA., Indul-
 gentias tunc solum inutiles evasuras esse, si requi-
 reretur satisfactio pœnitentialis *condigna*, non
 item, si *congrua* requiratur, ea videlicet, quæ
 spectatâ cujuslibet conditione, ac debilitate nec mo-
 raliter impossibilis est, nec nimis ardua. Hujus-
 modi autem satisfactiones infirmitati nostræ & fra-
 gili-

gilitati proportionatæ non adæquant, neque remittunt totam pœnam peccatis omnibus debitam. Ideoque magna superest pœna in Purgatorio persolvenda, quæ per Indulgentias remittitur. Proinde adhuc maximè salutare sunt Indulgentiæ, quibus remittuntur omnia debita, quæ præ impotentia & infirmitate humana non solvuntur. Et hæc ratione Indulgentiæ sunt supplementum impotentia & infirmitatis humanæ, non negligentia. Ceterà si quis etiam hoc de congruo satisfaciendi studium neglexerit, ne illi quidem Indulgentiæ sine fructu abeunt, quia opera pro lucrands Indulgentiis præscripta aliquantulam tamen satisfactionum nostrarum de congruo partem continent.

Obj. II. Hæc doctrina multum derogat Indulgentiis plenariis, quæ nunc conceduntur. *Respondent;* satisfactio congrua, & infirmitati peccatoris proportionata ad eò non præjudicat Indulgentiis plenariis, ut potius hominem disponat ad illarum fructum consequendum, integram videlicet omnis pœnæ remissionem, quam nec sine hac dispositione, nec absque illa Indulgentia obtineret.

Obj. III. Indulgentia plenaria semel obtenta tollit necessitatem omnis satisfactionis postea præstandæ. *Negant.* Qui enim post multa peccata justificatur, & opera omnia ad Indulgentiam plenariam obtinendam requisita ponit cum proposito satisfaciendi Deo, is statim post injuncti operis executionem lucratur plenariam Indulgentiam hoc sensu, quòd adquirat jus ad integram remissionem omnis pœnæ temporalis peccatis suis debitæ, sub conditione satisfactionis congruæ faciendæ, habita ratione suæ infirmitatis; ut adeo Indulgentia illa plena-

ria sive jus illud producat effectum suum successive, & secundum proportionem satisfactionis. Siquis autem ante peractam convenientem satisfactionem moriatur, retinens propositum satisfaciendi, si diutius viveret; consequitur is ex vi Indulgentiæ plenariæ, quam lucratus est, integram pœnæ temporalis omnibus peccatis suis debitæ remissionem. Tunc enim Indulgentia supplet ejus impotentiam; atque ita non persolvit in purgatorio pœnas peccatis suis debitas, nec propriis satisfactionibus remissas, quas alioqui persolvere debuisset, nisi Indulgentiam fuisset consecutus.

Obj. IV. Olim per Indulgentiam remittebatur omnis injuncta satisfactio: cur non etiam hodie? *Respondent*, plurima esse tum Ss. PP. tum Synodorum testimonia, ex quibus certò intelligere licet, satisfactionem canonicam non fuisse remissam nisi iis, qui jam pœnitentiæ partem magno cum fervore peregerant; vel qui opus aliquod aliud magni apud Deum meriti posuissent; vel qui intensæ contritionis & doloris editis signis, præ infirmitate, aut brevitate temporis propositum satisfaciendi perficere non poterant; numquam autem remissa legitur integra satisfactio iis, qui satisfacere poterant, & negligebant. *Quotquot metu, & lacrymis, atque patientia* (inquit NICAENA Synodus *can. 12.*) *vel bonis operibus, rebus ipsis conversionem suam, non simulatione demonstrant; hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum Fidelibus in oratione communicent: postmodum vero licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.* Si quandoque in antiqua Ecclesia ante peractam aliquam satisfactionem canonicam concessa fuit Indulgentia,

gentia, aut tempore persecutionis data fuit, aut infirmitatis, eâ tamen lege, ut vel convalescentes postea satisfacerent, aut intensioris doloris continuato usu, vel animi ad Martyrium præparatione compensarent.

Obj. V. Summi Pontifices in concessione Indulgentiarum nihil aliud requirunt, quàm executionem operis alicujus omnibus communis, nec ulterioris pœnitentialis satisfactionis mentionem inferunt, vel ergo decipiunt Fideles, vel præter executionem operum præscriptorum nihil aliud exigunt.

Respondent: CLEMENS VI. in Extrav. *Unigenitus*, declarat; Christum Ecclesiæ thesaurum concessisse verè pœnitentibus applicandum, & sæpe aliàs Pontifices veram pœnitentiam exigunt. Nemo autem est verè pœnitens, nisi qui habet propositum dignos pœnitentiæ fructus faciendi. Possunt etiam Pontifices ea duntaxat exigere opera, quæ ad finem Indulgentiæ à se intentum requiruntur, supponendo eas in suscipientibus dispositiones, quæ ad fructum Indulgentiæ integrè percipiendum aliunde sunt necessaria. Ferè sicut Sacerdos à peccatis absolvens pœnitentiam aliquam injungit, supponens pœnitentem aliis etiam viis pro peccatis suis satisfacturum esse, quam obligationem ex Jure divino ortam pœnitens ignorare non potest.

Q U A E S T I O VII.

*Utrum Indulgentiæ valeant pro defunctis?
& quomodo?*

Indulgentiis posse juvari animas, quæ in Pur- 214
gatorio pœnas luunt, certissimum est, & apud Jura
Catho-